

Quoad infamiam juris: « Adverte quod licet Pontifex possit delinquenti famam restituere, et juris infamiam ex delicto incarsam tollere, non potest tamen removere infamiam facti; quia opinio hominum de bonitate vel de malitia alicujus non potest ab aliquo, etiam maximo, vel supremo Principe removeri. Princeps quippe non potest facere ut homines credant illum esse bonum quem credunt

INFANTES.

Quoad infantes sine baptismo defunctos, qui ad quædam sanctuaria prodigiis celebrata deferri solent, et ibi fuis precibus ut Deus eos ad vitam revocare dignetur donec saltem baptismum recipere possint, ac si aliquod, licet incertum, in eis vitæ signum appareat sub conditione baptizantur; eumque deinde, ut plurimum, morti reddantur, seu potius dicta dubia vitæ signa non appareant, tanquam baptizati in loco sacro sepe-liuntur, Benedictus XIV, de Synodo Dice-

INFERNUS.

SUMMARIUM.

1. Inferni seu inferorum quatuor sunt loca seu sinus, et assignantur. — 2. Horum quatuor inferorum loca rationabiliter desumuntur ex quatuor poenarum generibus. — 3. Ostenditur quod fuerit subterraneus limbus sanctorum Patrum. — 4. Ostenditur quod sit subterraneus limbus peccatorum. — 5. Ostenditur quod sit subterraneum purgatorium. — 6. Ostenditur quod sit subterraneus inferus. — 7. Inferorum locus et ignis ejus creatus est in prima die in qua Deus creavit mundum. — 8. In inferno adest verus et proprius ignis quo damnati cruciantur. — 9. Ignis inferni est corporeus, et ejusdem speciei cum hoc nostro elementari. — 10. Spiritus damnatorum ab igne infernali torquentur per modum alligationis et detentionis localis, ut in carcere, et per alligationem et detentionem objectivam. — 11. Probatur ex Scriptura quod poena ab igne inferni spiritibus damnatorum illata sit poena alligationis et detentionis. — 12. Idem probatur etiam auctoritate Sanctorum Patrum. — 13. Demonstratur quomodo dicta poena ab igne corporeo spiritibus inferatur, ad n. 14. — 15. Ostenditur quod ignis inferni cruciet spiritus damnatos, etiam ipsos immutando objective. — 16. Hæc detentio objectiva est multo gravior et acerbior quam alligatio et detentio localis. — 17. Probatur signanter quod ignis inferni non cruciet spiritus damnatos actione physica, sed intentionali ad n. 18. — 19. Quamvis in inferno præter poenam ignis, alias sensus poenæ sit a Scriptura; nemo tamen in hac vita scire potest distincte et determinate quænam et quot sint damnatorum poenæ, nisi a Deo revelante eas percipiat. — 20. Homines damnati in inferno post judicium universale, etiam quoad corpora sunt igne cruciati. — 21. Licet non sit improbabile quod damnati post judicium actione tantum intentionali sint ab igne cruciandi, absolute tamen tenendum est esse tunc cruciandos ab igne non so-

(1. Inferni seu inferorum quatuor sunt loca sive sinus, juxta qualitatem poenarum quas animæ defunctorum in illis sustinent: nempe limbus sanctorum Patrum Veteris Testamenti, limbus sive locus parvulorum in peccato originali decedentium, purgatorium, et locus damnatorum, qui infernus communiter dicitur. Sic communis theologorum sententia, teste Bellarmino, tom. II, l. II, de Purgatorio, cap. 6, vers. Octava, est

et credere volunt esse malum; imo non nisi a Deo infamia facti aboleri potest, ut per Roman. sing. 469 incip. *Dubitatio est magna*. Verum Sfort. quem refert et sequi videtur, Farin. in praxi Crimin., p. 4, q. 6, n. 43 dicit quod Princeps restituit etiam ab infamia facti si hoc ei placeat et exprimat. » Barbosa in 5 decret., tit. 34, cap. 8, ex *tuarum*; — item citat. allegat. 43, n. 20.

sana, lib. VII, cap. 6, num. 10 et 11, relatis variis dicecesanis synodis in quibus præmissa omnia velita fuerunt sub gravium poenarum interminatione, deinde sub num. 12 testatur quod a congregatione S. Officii, re diligenter examinata, die 27 Aprilis 1729 decretum fuit quod hujusmodi consuetudo de medio tolleretur; idemque confirmatum fuit die 19 Decembris ejusdem anni, item 20 Februarii 1737, 30 Januarii 1738, 3, et 6 Junii 1744, ac denique die 11 Maii 1751.

INFERNUS.

lum actione intentionali, sed etiam actione reali. — 22. Adducitur et solvitur objectio. — 23. Post diem judicii non augetur poena et tristitia essentialis damnatorum, sed solum dolor et poena accidentalis. — 24. Tam poena damnati quam poena sensus in damnatis erit inæqualis juxta inæqualitatem demeritorum. — 25. Deus in inferno in punitione damnatorum exercet misericordiam parentem et mitigantem, seu partialem, non vero liberantem et otalem. — 26. Peccatum veniale in inferno punitur sola poena temporali, sicuti etiam peccatum mortale confessum, et nondum in hac vita ejus poena soluta. — 27. Ostenditur quis sit verus sensus illius catholici axiomatis, quod in inferno nulla est redemptio. — 28. Anima Christi ad omnia loca inferni peccedit. — 29. Christo non fuit aliqua poena esse in inferno. — 30. Descensus Christi ad inferos contulit animabus peccatorum due maxima bona, quæ assignantur. — 31. Christus ad inferos descendens nullum de purgatorio secum duxit, nisi talis tunc poenam totam purgatoriam quam erat subiturus solverit. — 32. Et tanto minus Christus ad inferos descendens liberavit animas æternaliter damnatas in inferno. — 33. Nec liberavit animas infantium quæ decesserant cum peccato originali. — 34. Aliquæ animæ damnatæ interdum cruciantur in aliquibus locis extra infernum per divinam specialem ordinatorem ad exemplum et correctionem vivorum. — 35. Ora inferni non sunt montes Ætna, Vulcanus, nec Vesuvius, et similes. — 36. Animæ damnatæ portantur in infernum a demonibus. — 37. Et in die judicii descendunt in infernum per miraculum absque aperitione terræ. — 38. An Trajanus imperator gentilis aliquo pagani et peccatores fuerint precibus aliquorum sanctorum liberati ab inferno, ad n. 39. — 40. De quo quod Historia Trajani et alia referentes aliquos gentiles et peccatores fuisse per apostolos et alios sanctos de inferno eductos, essent veræ; quomodo ipsi fuerunt damnati et liberati.

communis Scholasticorum; Beyerlinck in Theatro vitæ humanæ, verb. *Infernus*.

(2. Horum quatuor inferorum loca, seu quatuor inferni partes, rationabiliter desumuntur ex quatuor poenarum generibus, quia omnia illa quatuor loca sunt poenalia, et omnis poena, aut est tantum damnati, aut etiam sensus; et rursus aut æterna, aut temporalis. Pro poena igitur solius damnati temporalis, erat limbus SS. Patrum, qui nunc

vacuus remanet; pro poena solius damnati æterna est limbus puerorum; pro poena damnati et sensus temporali est purgatorium; pro poena damnati et sensus æterna est infernus; Bellarm. loc. cit. et alii passim.

(3. Quod limbus sanctorum Patrum Veteris Testamenti fuerit subterraneus, seu in inferno, constat ex Genesi xxxvii, num. 33, ubi Jacob, audita morte filii sui Joseph, *Descendam*, dixit, *ad filium meum lugens in infernum*, quem tamen sciebat esse in limbo. Item ex Apostolo ad Ephes. iv, habetur, quod *Christus descendit ad inferiores partes terræ*; et ex Symbolo, quod *descendit ad inferos*, constat autem quod ivit ad sinum Abraham, unde liberaret animas sanctorum Patrum, adeoque talis limbus est in inferioribus partibus terræ.

(4. Quod limbus puerorum sine baptismo decedentium sit subterraneus, seu in inferno, habetur ex concilio Florentino, sess. ult., ubi definitur eos qui cum solo originali moriuntur mox in infernum descendere. Et tradunt communiter doctores.

(5. Quod purgatorium sit in inferioribus terræ partibus, seu in inferno, deducitur ex Apostolo ad Philippens. ii, ubi habetur quod *in nomine Jesu omne genua flectatur caelestium, terrestrium, et inferorum* (93). Quæ ultima verba solummodo de animabus purgatorii intelligi possunt, cum nequeant intelligi de animabus in inferno damnatis, quæ nedum non flectunt genua Christo, sed potius illum continuo blasphemant, juxta illud psal. lxxiii, num. 33: *Superbia eorum qui te oderunt ascendit semper*. Item ex illo psal. cxlii: *Non mortui laudabunt te, Domine, neque omnes qui descendunt in infernum*. Unde colligitur, adesse aliquas animas in inferioribus terræ partibus quæ Deum laudant, quæ, cum non possint esse animæ æternaliter damnatæ in inferno, debent necessario esse animæ temporaliter puniendæ in purgatorio. Item, aliis Sacræ Scripturæ textibus omissis, ex illis verbis quæ in sacrificio missæ pro defunctis dicuntur: *Libera, Domine, animas fidelium defunctorum de penis inferni et de profundo lacu*. Quæ verba intelliguntur solum de animabus purgatorii, cum in inferno nulla sit redemptio. Vide verb. *Purgatorium*.

(6. Quod infernus proprie dictus sit in inferioribus terræ partibus nemo est qui dubitet; imo per omnes est locus infimus inferorum. Et de hoc est sermo in præsentibus; et de hoc intelliguntur omnes illæ comminationes Sacræ Scripturæ et parabole evangelicæ de Servo infideli et pigro, de Zizanias, etc., Matth. xiii. Et in hunc descendunt Coré, Dathan, et Abiron, qui ut habetur Num. cap. xvi, num. 33, *descenderunt vivi in infernum aperti humo*, et in hoc sepultus est dives ille de quo Lucae xvi dicitur:

(93) « Et inferorum, inquit D. Augustinus Calmet interpretatur allatum ab auctore ex Epistola ad Philippenses testimonium, mortuorum ipsorumque demonum ac damnatorum... qui ejus nomen, nunc quidem prociunt; sed supra judicii die illum qui Deum judicemque agnoscere, atque adorare

Mortuus est dives, et sepultus est in inferno.

(7. Inferorum locus et ignis ejus creatus est in prima die in qua Deus creavit mundum; Abulensis, tom. VII, in Matthæum, cap. xxv, qu. 708, in principio, Beyerlinck in Theatro vitæ humanæ, verb. *Infernus*, litt. L. Tirinus in Genesim, cap. i, num. 1, et alii passim, contra Ludovicum Molinam, existimantem tertia die creatum fuisse infernum, eo quod illa die terra ornata fuisset, in cujus centro infernus est. Et ratio nostræ conclusionis est, quia Deus in prima die creavit angelos; et angeli, ut habentes actus celerrimos, statim ut creati sunt, peccaverunt, et statim damnati sunt ad ignem inferni, adeoque dicendum est in prima die creatum fuisse infernum.

(8. In inferno adest verus et proprie dictus ignis quo damnati cruciantur. Sic communis theologorum sententia, teste Tirino in Judith, cap. xvi, num. 21; Mastrius Theolog. moral., disp. 26, num. 5, contra Calvinum et alios hæreticos. Et hoc deducitur expresse ex pluribus Sacræ Scripturæ locis, in quibus de tali igne fit frequentissima mentio, et signanter Matth., cap. ii, num. 10: *Omnis arbor quæ non facit fructum bonum excidetur et in ignem mittetur*; et num. 12: *Paleas comburet igni inextinguibili*; cap. xiii, num. 42: *Mittent eos in caminum ignis*; cap. xxv, n. 41: *Discedite a me, maledicti, in ignem æternum*; Marc., cap. ix, n. 42: *In gehennam, in ignem inextinguibilem, ubi vermis eorum non moritur, et ignis non exstinguitur*; Lucae, c. xix, num. 24: *Crucior in hac flamma*; Apocalyp., cap. xiv, num. 10: *Cruciabuntur igne et sulphure*; cap. ii, n. 9: *Missus est in stagnum ignis*; cap. xxi, num. 8: *Pars illorum erit in stagno ardenti igne et sulphure*; Deuteronom. xxxii, n. 22: *Ignis succensus est*; Judith, cap. xx, num. 21: *Dabit ignem et vermes in carnes eorum, ut urantur et sentiant usque in sempiternum*; Ecclesiastici, cap. vii, num. 19: *Vindicta carnis impii ignis et vermis*; Isaia, cap. xxxiii, num. 14: *Quis poterit habitare cum igne devorante, cum ardoribus sempiternis*? Psal. x, num. 7: *Pluet super peccatores laqueos ignis, et sulphur, et spiritus procellarum pars calicis eorum*; Psalm. xx, num. 10: *Pones eos ut clibanum ignis*; Psalm. cxxxix, num. 11: *Cadent super eos carbones, in ignem dejicies eos*.

(9. Ignis inferni est corporeus, et ejusdem speciei cum hoc nostro elementari; Scotus in 4, dist. 44, q. 2 et 3; S. Bonaventura, ibid., p. 2, q. 1; Mastrius Theolog. moral., disp. 26, num. 6, et alii passim. Nulla enim, est necessitas illum ponendi diversum, et citata loca Scripturæ sunt adeo clara, ut nonnisi de vero corporeo igne ejusdem speciei cum nostro elementari interpretari possint, alioquin Scriptura verbo valde

cogentur. » Hæc porro interpretatio auctoritati innititur S. Joannis Chrysost., Theodoret, Estii, Merocorii, Zanchii, Tirini, aliorumque. Hinc patet demones damnatosque, sin minus sponte, saltem coacte se flectere in nomine Jesu.

æquivoco usa fuisset, et in significatione, nobis incognita. Nec obstat quod ignis infernalis pabulo non indigeat nec sublimiorem petat locum, sicut hic noster, quia, et in propria sphaera secundum philosophos ignis alimento non indiget; et facillimum est divinæ virtuti in infimo loco eum cohibere ad damnatorum cruciatum absque eo quod, sicut ignis noster, suapte natura sublimiorem petat locum.

(10. Spiritus damnatorum ab igne infernali torquentur per modum alligationis et detentionis localis, ut in carcere, ac per alligationem et detentionem objectivam, id est cruciantur ab igne non actione physica, sed intentionali, per tristitiam quam causat. Sic Scotus, et Scotistæ in 4, dist. 44, q. 2, et etiam Nominales ibidem, et sequuntur recentiores passim; Amicus disp. 22, sert. 4; Aversa, quæst. 64, sess. 1; Joannes de S. Thoma, q. 64, disp. 24, art. 3; Nazarius, et alii citati, et secuti a Mastrio cit. disp. 26, num. 18, et in secundo sententiarum disp. 3, q. 6, art. 3, num. 527, ubi ex Suarez testatur hanc fuisse etiam opinionem S. Thomæ et Thomistarum, part. 1, q. 64, art. 3 et 4, contra Gentes, c. 90; dicitque expresse quod sententia in scholis verior et communior, tam apud veteres quam recentiores, docet dæmones et spiritus damnatorum esse igni alligatos, ita ut ab eo se liberare non possint, et ex hac alligatione cognita et nolita admodum tristari et torqueri; quam alligationem ad ignem explicant, vel per modum carceris illos detinentis in certo loco, ne pro illorum libito ubique vagari possint, vel per modum objecti determinantis illos ad continuam sui considerationem, ne expedito pro suo arbitrio valeant ad alia objecta considerata converti.

(11. Probatur igitur ex Sacra Scriptura quod pœna ab igne inferni spiritibus damnatorum illata sit pœna alligationis et detentionis: fere enim semper scriptura explicat illam pœnam ignis per dictum modum alligationis et detentionis, et patet ex Apocalyp. xx: *Et apprehendit angelus draconem, qui est diabolus et Satanas, et ligavit eum per annos mille et misit in abyssum*, ubi, ut vides, cruciatus dæmonum in inferno explicantur per vincula et alligationem ac detentionem. Et II Petri ii: *Angelis peccantibus Deus non pepercit, sed rudentibus inferni detractos in tartarum tradidit cruciandos*; et in Epistola Catholica S. Judæ apostoli dicitur: *Angelos vero qui non servaverunt suum principatum vinculis æternis sub caligine reservavit*. Et Isaiæ xxiv: *Et congregabuntur in congregatione unius fascis in lacum, et claudentur ibi in carcere*. Et Threnorum iii: *In tenebris collocavit me sicut mortuos sempiternos, ut non egrediar, aggravavit compedem meam*. Et hoc idem indicat petitio illa qua Lucæ viii, dæmones Christum rogabant, *ne illis imperaret ut in abyssum irent*, ne scilicet ibi carceris, seu alligationis et detentionis pœna punirentur, ut Patres colligunt ex illis verbis Matthæi xviii: *Quid nobis et tibi, Jesu Fili Dei?*

Venisti huc ante tempus torquere nos?

(12. Probatur etiam auctoritate sanctorum Patrum; sanctus enim Gregorius Papa I. iv, Dialogor., c. 29, interrogatus: « Quomodo rem incorpoream tenere ignis corporeus possit? » Sic respondit: « Si viventis hominis incorporeus spiritus tenetur in corpore, cur non post mortem, cum incorporeus sit spiritus, etiam corporeo igne teneatur? » Deinde cujusmodi sit ea pœna, declarat: « Teneri autem spiritum per ignem dicimus, ut tormento ignis videndo atque sentiendo puniatur; ignem namque eo ipso patitur quod videt, et quia cremari se aspicit, crematur; sicque fit, dum res corporea incorpoream exurit, tum ex igne visibili ardor, ac dolor invisibilis trahitur; ut per ignem corporeum mens incorporea etiam incorporea flamma crucietur. » Item S. Augustinus 21, de Civitate Dei, cap. 10, ait: « Cur non dicamus, quamvis miris, verisque tamen modis spiritus incorporeos posse pœna corporalis ignis affligi? Nam si spiritus hominum etiam ipsi profecto incorporei etiam nunc potuerunt includi corporalibus membris, et tunc potuerunt corporum suorum vinculis perpetuo alligari... Adhærebunt ergo etiam si eis nulla sint corpora, spiritus dæmonum; imo spiritus dæmonum licet incorporei, corporeis ignibus cruciandi; » et consimiliter loquuntur varii alii SS. Patres, qui brevitate gratia omittuntur.

(13. Quomodo autem dicta pœna ab igne corporeo spiritibus inferatur demonstrat Scotus in 4, dist. 44, q. 2, num. 3, ubi dicit quod « dolor est passio consequens apprehensionem sensitivam et in appetitu sensitivo, tristitia autem est proprie in appetitu intellectivo, aut in voluntate, et consequens apprehensionem eventus alicujus objecti noliti. » Deinde, num. 7, dicit quod « ignis inferni est objectum disconveniens dæmonibus, idque dupliciter primo, ut delinens spiritum definitive; secundo ut immutans objective, et utroque modo cruciat dæmones. Primo quidem, quia nolunt detineri ab igne cui ex lege Dei se alligatos agnoscunt tanquam perpetuo carceri ac instrumento divinæ justitiæ. Unde illa nolita alligatio ac violenta detentio infert magnam tristitiam et afflictionem damnatis spiritibus, qui ob innatum libertatis amorem summe tristantur, quod sibi impeditam videant potentiam motivam ne possint pro libito ubilibet vagari. Si enim brutum animal, intellectu ac libertate carens, et solum sensum et appetitum habens, dum se catena ligatum videt, adeo vehementer affligitur et torquetur, multo magis dicta alligatio et detentio affliget et torquet nobilissimos illos spiritus. »

(14. Unde ibidem, num. 9, subjungit Scotus, quod diabolus summe tristatur; « Non enim tantum odit detentionem activam Dei et suam passivam a Deo, sed etiam odit detentionem formalem perpetuam ab illo igne, et per consequens de illa detentione formali tristatur. Cum autem tristari sit formaliter cruciari, sequitur quod ignis, ut formaliter delinens diabolum, etiam aliqua-

tenus effective ipsum cruciet. Nec refert quod ipsum non detineat effective; inde namque non sequitur quod non possit ipsum etiam effective cruciare, quia ut delinens formaliter est objectum nolitum, et apprehensum, ut disconveniens: objectum autem nolitum effective infert tristitiam. »

(15. Ostenso igitur ex Scoto quod ignis inferni cruciet spiritus damnatos eos detinendo definitive, ostenditur quod etiam eos cruciet ipsos immutando objective. « Primo namque, inquit doctor, ibidem. n. 11, intellectus angeli determinatur perpetuo ad intense considerandum ignem in ratione objecti; secundo apprehendit istam determinationem, id est necessitatem, ad talem considerationem; tertio odit, et sicut prius istud odium oritur ex affectione commodi, ex quo vult quodecunque objectum, prout sibi delectabile fuerit, considerare nunc hoc, et nunc illud, et promovetur ex superbia, ex qua vult ut intellectiva sua secundum imperium voluntatis propriæ, et consummatur ex invidia, propter quam odit determinari a Deo ad aliquam considerationem unicam: quarto sequitur apprehensio non tantum nuda istius considerationis sicut in secundo, sed apprehensio certa de eventu istius considerationis intensæ et perpetuæ; quinto ex hoc sequitur tristitia. »

(16. Et hæc secunda pœna, nempe detentio objectiva, quatenus intellectus ita perpetuo detinetur in intensa consideratione illius ignis vindicis in ratione objecti, ut nullatenus considerare possit alia objecta, est multo gravior et acerbior quam prima, nempe alligatio seu detentio localis sui ab igne. Ignis enim, dicit Scotus ibidem, n. 13, objective detinens intellectum angeli, magis effective ipsum cruciat quam quatenus ipsum detinet localiter. Nam, ut detinens localiter tantum, affligit dæmonem effective, quatenus est objectum nolitum; ut vero ipsum detinet objective, causat effective primam apprehensionem, ad quam determinatur intellectus, quæ est nolita, et ita hæc ultima detentio habet quasi duplicem actionem in intellectum dæmonis; prior vero habet tantum simplicem et unicam.

(17. Probatur signanter quod ignis inferni non cruciet spiritus damnatos actione physica, quia ignis ille est corporeus et ejusdem speciei cum hoc nostro elementari, ut patet ex dictis supra num. 9; adeoque naturaliter saltem non potest agere in substantias pure spirituales, quales sunt dæmones et animæ separatæ. Nec facile dictum est quod per potentiam obediendam res materialis et corporea possit elevari ad producendum physice accidens spirituale. Et dato etiam quod hoc sit possibile, non est dicendum quod Deus velit facere continuum et æternum miraculum, ut elevet virtutem illius ignis corporei ad efficiendum physice dæmones et animas damnatas: inconveniens enim esset Deum non posse punire dæmones et damnatos sine continuo et æterno miraculo: Unde concludendum est quod dictus

ignis illos cruciet et affligat non actione physica, sed intentionali.

(18. Et hoc probatur, quia, ponendo quod spiritus damnati crucientur ab igne inferni actione intentionali per tristitiam quam causat, facilius explicatur quomodo sine miraculo illo talis elevationis dæmones torqueantur vere per ignem, scilicet quatenus cognoscendo se detineri ab illo igne velut carcere, nec posse ab illo eripi, nec unquam avertere cogitationem suam ab illo sic tormentoso, quia summe nolito objecto, utpote summe opposito suæ potentiæ motivæ et intellectivæ a tali alligatione locali, et detensione objectiva, ut summe eis displicita, summam et intensissimam concipiunt tristitiam. Hic autem modus torqueudi est intentionalis et moralis, cum causet tristitiam, quæ est passio spiritualis in intellectu et voluntate, adeoque ignis inferni cruciat illos damnatos spiritus pœna intentionali. Et hæc tristitia ac spiritualis cruciatus quem ignis causat in mente illorum damnatorum spirituum per dictam duplicem alligationem ac detentionem localem et objectivam, est illa incorporea flamma ac invisibilis ardor quem S. Gregor. cit. sup. num. 12, aiebat res incorporeas trahere ab igne corporeo et materiali: « Res corporea incorpoream exurit, dum ex igne visibili ardor ac dolor invisibilis trahitur, ut per ignem corporeum mens incorporea etiam incorporea flamma crucietur. » Unde hæc pœna dicitur pœna sensus, non quia per actus sensuum vel potentiam sensitivam sustineatur, sed quia causam et originem habet ab aliquo sensibili corpore quod causa est hujus pœnæ; quod in præsentem ignem esse habetur ex Scripturis et Patribus allegatis supra n. 11 et 12, ac aliis similibus.

(19. Quamvis in inferno præter pœnam ignis, alias sensus pœnas ponat sacra Scriptura, scilicet pœnam vermis, et pœnam fletus, et dentium stridorem, et frigiditatem nimiam, tenebras, fetorem sulphuris, spirituum procellas, etc., ut patet ex pluribus ipsius testibus, et Psal. x, num. 7: *Pluet super peccatores laqueos, ignis, sulphur, et spiritus procellarum, pars c. licis eorum*. Psalm. lxx, n. 15: *Famem patientur ut canes*. Job cap. 13, num. 21: *Sonitus terræ semper in auribus impij*; et cap. xxiv, n. 19: *Ad nimium calorem transeat ab aquis nivium, et usque ad inferos peccatum illius*; Isaiæ, cap. iii, n. 24: *Erit pro suavi odore fetor*; Isaiæ, cap. xxxiv, n. 3: *De cadaveribus eorum ascendet fetor*; Ezechiel., cap. xxxii, n. 6: *Irrigabo terram fetore*; Judith., cap. xv, n. 21: *Dabit ignem, et vermes in carnes eorum, ut urantur et sentiant*; Deut., cap. 31, n. 35: *Fel draconum vinum eorum, et venenum aspidum*; Jerem., cap. xxxii, num. 16: *Cibabo illos absinthio*; Apocalyp., cap. xviii, n. 9: *Plangent, cum viderint fumum incendiij ejus*; Matth., cap. ii, n. 13: *Ploratus et ululatus*; et cap. viii, n. 12: *Filij autem regni ejicientur in tenebras exteriores; ibi erit fletus et stridor dentium*; Marci, ix, n. 43, 45 et 47: *Ubi vermis eorum non moritur, et ignis*

non exstinguitur; cum pluribus similibus. Nemo tamen in hac vita scire potest distincte, et determinate, et adæquate, quænam et quot sint damnatorum pœnæ, nisi a Deo revelante eas percipiat, ut, teste Mastrius in Theol. moral., disput. 26, art. 1, n. 9, docet communis Patrum et Theologorum sententia, cum S. August. lib. 1, de triplici habitaculo, cap. 1, ubi de pœnis inferni loquens ait: « Mala autem inferni dicere, vel cogitare ut sunt nemo potest; pejora quippe sunt valde quam cogitantur. » Et infra subdit: « Locus inferni plenus est tenebrarum, discordiæ, odii, stultitiæ, miseriæ, turpitudinis, amaritudinis, offensionis, doloris, adustionis, sitis, famis, ignis inextinguibilis, tristitiæ, vindictæ perennis, et omnis, et ineffabilis mali, quod nec dici nec cogitari potest. » Et paulo inferius tandem subjungit, quod « in inferno nihil invenitur quod desideratur, nihil videtur, nihil sentitur, nisi quod displicet, nisi quod offendit, nisi quod cruciat. » Et concludit, quod « omne malum abundat in carcere diaboli, et nullum bonum. » Et consimiliter loquuntur alii passim Sancti Patres, et Theologi; et in Evangelio ipso Lucæ, xvi, n. 28, vocatur infernus locus tormentorum, ubi Ugo Cardin. sic habet: « Bene dicit locum tormentorum, ubi omnia genera tormentorum sunt congregata. »

(20. Homines damnati in inferno, post judicium universale, etiam quoad corpora sunt igne cruciandi. Est de Fide, et communis doctorum; et habetur aperte ex Matth. 23, n. 41: *Discedite a me, maledicti, in ignem æternum*; et ex aliis consimilibus Script. locis. (21. Unde, licet non sit improbable quod damnati post judicium actione tantum intentionali ab igne sint cruciandi; Absolute tamen tenendum est esse tunc cruciandos ab igne, non solum actione intentionali, sed etiam actione reali; id est ignis post judicium cruciabit homines corpore et anima præditos, non solum actione intentionali, id est per dolorem in appetitu sensitivo causatum, sed etiam actione reali, revera corpus comburente, quamvis non corruptente. Hic enim dicendi modus conformior est Sanctorum dictis, et ipsius sacræ Scripturæ ubique dicentis damnatos igne inferni esse cruciandos. Ignis autem non cruciat nisi actione reali, et executive damnatorum corpora calefaciendo et ignefaciendo, et dolorem intensum juxta peccatorum gravitatem et quantitatem causando; Mastrius loc. cit., num. 23, cum sancto Bonav. et aliis allegatis.

(22. Nec valet objicere quod sic homines damnati post judicium magis torquerentur, quam Dæmones; nam homines, præter pœnam illam intentionalem tristitiæ in anima ex alligatione locali, et detentione objectiva sentirent etiam diras et physicas pœnas quas non sentirent dæmones. Non valet, inquam, quia novit Deus sic attemperare pœnas animæ cum corporeis, ut ambæ simul commensurentur peccatis tam dæmonum quam hominum.

(23. Post diem judicii pœna et tristitia

essentialis damnatorum non augebitur, quamvis augeatur dolor propter passionem et tormenta corporum, et pœna accidentalis ex multitudine damnatorum. Sicut enim post diem judicii universalis et corporum resurrectionem non augebitur in beatis gloria essentialis, sed solum gloria accidentalis, ita in damnatis non augebitur pœna et tristitia essentialis, sed solum pœna accidentalis; Mastrius loc. cit., num. 27, et alii passim.

(24. Tam pœna damni quam pœna sensus in damnatis erit inæqualis juxta inæqualitatem demeritorum. Sicut enim beati inæqualem habent beatitudinem juxta meritum inæqualitatem, ita damnati quoque inæqualem debent habere pœnam, sive damni, sive sensus, juxta inæqualitatem demeritorum, juxta illud Apostoli ad Romanos, cap. 11, v. 6: *Reddet unicuique juxta opera ejus*. Et Apocal., cap. xviii, num. 7: *Quantum glorificavit se et in deliciis fuit, tantum date illi tormentum et luctum*. Et ibidem, cap. xxii, num. 12: *Ecce venio cito, et merces mea mecum est, reddere unicuique secundum opera sua*. Et Deuteronom., cap. xxv, num. 3: *Pro mensura peccati erit et plagarum modus*. Scotus in 4, dist. 44, qu. 2, et dist. 50, q. 6; Mastrius loc. cit., a num. 33 ad 36, et alii passim.

(25. Deus in inferno in punitione damnatorum exercet misericordiam parentem et mitigantem, seu partialem, non vero liberantem, seu totalem; sic expresse Scotus in 4, dist. 46, q. 4, in fin.; Mastrius loc. cit., a num. 51 ad 55; quod etiam docuerunt ibid. S. Th. et S. Bonav. Et prima pars colligitur ex illo ps. lxxvi: *Nunquid obliviscetur misereri Deus, aut continebit in ira sua misericordias suas?* Et ex illo psalm. cxlii: *In misericordia tua disperdes omnes inimicos tuos*; et ex illo Habacuc iii: *Cum iratus fueris, misericordiam recordaberis*. Secunda autem pars colligitur ex illo Jacobi ii: *Judicium sine misericordia fiet ei qui non fecit misericordiam*; et ex aliis similibus. Unde Scotus, l. c., ad conciliandos Scripturæ textus, qui quantum ad hoc videntur sibi contrarii, et demonstrandum quomodo misericordia in punitione damnatorum concurrat cum justitia, duplicem in Deo misericordiam distinguit; unam totaliter a miseria liberantem, qua Deus utitur cum in hac vita electos liberat a servitute diaboli vel ab omni alio malo tam spirituâ quam corporali, sive imminente sive præsentem, defendit; alteram parentem, vel mitigantem, seu partialem, qua Deus utitur, vel in hac vita, vel in alia vita, sed tamen citra condignum demeriti, condonando scilicet aliquam partem pœnæ, licet non totam, juxta demerita: unde prima dicitur misericordia totalis, quia omne prorsus malum auferit; secunda vero partialis, quia solum partem tollit malorum. Et sic illud Jacobi ii: *Judicium sine misericordia fiet ei qui non fecit misericordiam*, loquitur de misericordia liberante et totali, non autem de parente et partiali.

(26. Peccatum veniale, sive in hac vita dimissum quoad culpam, sive non, licet

mortali conjunctum, in inferno punitur sola pœna temporali, sicuti pariter pœna peccati mortalis hic remissi, sed non in hac vita soluta, persolvitur ac terminum habet in Inferno: sic Scotus in 4, dist. 21, qu. 1, quem sequuntur Scotistæ omnes, et nominales, et alii plurimi apud Mastr. lib. ii, sent. disp. 6, de Peccatis, quæst. 8. Vide verb. *Peccatum*, n. 78 et 79.

(27. Quisnam sit verus sensus illius catholici axiomatis, quod *in inferno nulla est redemptio*. Vide verb. *Peccatum*, n. 80.

(28. Anima Christi ad omnia loca inferni descendit. Colligitur ex illo Ecclesiastici cap. xiv, n. 45: *Penetrabo omnes inferiores partes terræ, et inspiciam omnes dormientes*. Et S. August. Epist. 99 dicit, « Christum descendisse ad loca inferni, ubi erant dolores et tormenta. » Et S. Fulgentius, lib. iii, ad Transimundum, cap. 30, dicit, « Christum descendisse usque ad infernum, ubi solebant peccatorum animæ torqueri. » Et S. Cyrillus Hierosolymitanus, Cath. 4; S. Ambrosius in libro de Mysterio Paschæ, S. Eusebius Emisenus in Oratione de Pascha, et alii Patres, dum describunt terrorem gehennæ ac dæmonum in descensu Christi, aperte indicant Christum præsentiam suam illis manifestasse. Sic cum aliis Bellarminus, t. I, de controversiis Fidei, lib. iv, de Anima Christi, c. 16, lit. A et B, ubi ait quod non videtur satisfacere id quod dicit S. Thom. 3, part. q. 52, art. 2: nempe, quod Christus per realem præsentiam solum descendit ad limbum Patrum, per effectum autem ad omnia loca inferni. Nam, dicit ipse Bellarminus, hoc modo possumus cum Durando dicere ad nullum locum Christum descendisse aliter quam per effectum, cum Scriptura non distinguat loca.

(29. Christo non fuit aliqua pœna esse in inferno, anima enim Christi, dum fuit in inferno, fuit quidem in loco pœnæ, sed sine pœna: S. Bonav. in dist. 22, q. 4, ejus loquendi modus, teste Bellarm., l. c., litt. D, videtur magis conformis SS. Patribus.

(30. Descensus Christi ad inferos contulit animabus justorum duo maxima bona, nempe beatitudinem essentialem, educationem in cælum. Beatitudinem enim essentialem continuo illis præstitit, juxta illud Ecclesiastici, cap. xxiv, num. 45: *Penetrabo omnes inferiores partes terræ.... illuminabo omnes sperantes in Domino*; et illud Lucæ 23: *Hodie mecum eris in paradiso*; quod Origenes homil. 15, in Gen. assertit dictum fuisse non solum latroni, sed etiam omnibus justis qui in Inferno seu in limbo sanctorum Patrum erant. Et Tirin. in cit., cap. xxiii Luc., n. 43, claram Dei visionem, intuitu mortis Christi, statim ac expiravit concessam fuisse omnibus in limbo; educationem autem in cælum præstitit illis die suæ Ascensionis juxta illud: *Ascendens Christus in altum captivam duxit captivitatem*.

(31. Christus ad inferos descendens nullum de purgatorio secum duxit, nisi talis tunc pœnam totam purgatoriam quam erat subiturus solverit: Tostatus Paradoxon 5,

cap. 118; S. Thomas 3, par. quæst. 52, art. 8, ubi docet, animas purgatorii non esse liberatas simpliciter ex descensu Christi ad inferos; Bellarmin. loc. cit., cap. 16, et alii contra alios. Non enim tunc liberavit Christus nisi illos qui habuerunt talem dispositionem qualem habent qui nunc liberantur.

(32. Et tanto minus Christus ad inferos descendens liberavit animas æternaliter damnatas in inferno, quia in INFERNO NULLA EST REDEMPTIO: Sic doctores communiter. (33. Nec liberavit animas infantium qui decesserant cum peccato originali; pueri enim in limbo manentes semper ibidem manebunt: Tostatus Paradoxon 5, cap. 126; Bellarminus loc. cit., cap. 16, et alii. Vide verb. *Peccatum*, n. 66 et 67.

(34. Aliquæ animæ damnatæ interdum cruciantur in aliquibus locis extra infernum per divinam specialem ordinationem, ad exemplum et correctionem vivorum; Tostatus de statu Animarum, conclusionem quarta; sanctus Gregorius in quarto Dialogorum, et alii plures; et patet ex variis apparitionibus et revelationibus relatis apud Beyerlinck in Theatro Vitæ humanæ, verb. *Infernus*, et apud multos alios.

(35. Ora inferni non sunt montes Ætna, Vulcanus, nec Vesuvius, et similes: Tostatus Paradoxon 5, cap. 10, et alii. (36. Animæ enim damnatæ portantur ad infernum a dæmonibus: Tostatus tom. VII, in Matth., cap. 25, q. 779, et alii. (37. Et in die judicii descendunt in infernum per miraculum absque terræ aperature: Tostatus Paradoxon 5, cap. 187, et alii.

(38. An Trajanus imperator gentilis alique pagani et peccatores fuerint precibus aliquorum sanctorum liberati ab inferno, variant doctores. Sanctus enim Joannes Damascenus in Oratione de mortuis dicit orationibus sanctæ Theclæ liberatam fuisse de inferno animam Falconillæ ejusdam feminæ paganæ; et orationibus sancti Gregorii Papæ animam Trajani imperatoris. Quod de anima Trajani imperatoris refert, et ad longum probat Abulensis in libro quarto Regum quæst. 57, Alphonsus Ciaconius in Apologia historię Trajani, et alii plures. Et in vita sancti Nicolai de Tolentino legitur ejus precibus liberatam fuisse de inferno animam sui consobrini. Sanctus Gregorius libro primo Dialogorum cap. 12, scribit a sancto Severo excitatum fuisse quemdam virum pessimum qui a dæmonibus in infernum deducebatur. Ægesippus libro tertio, capite secundo, refert, beatum Petrum excitate affinem quemdam Cæsaris ethnica a morte. Sanctus Ambrosius sermon. 90, et Maximus sermon. 2, de Sancta Agnete, scribit ab ea excitatum filium Præfecti, qui in peccato mortali obierat. Evodius libro primo de miraculis Sancti Stephani dicit puerulum mortuum ante baptismum ad reliquias sancti Stephani fuisse excitatum; et de multis aliis gentilibus et paganis eductis de inferno per apostolos et viros sanctos Novi Testamenti refert et probat Abulensis locis cita-